ADONIA, SEU MNEMOSYNON HENRICI MAGNI. SOMNIUM PHILOCELTÆ, ...

Emeric : de La Croix

XVII
[illegible]
[illegible]

1063 19

1943.29

B

ADONIA
SEV
MNEMOSYNON
HENRICI MAGNI.

SOMNIVM PHILOCELTÆ
SEV
Sponſor Caſſandræ Turcicæ.

E. C. P.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1879

PARISIIS,
Apud IOANNEM LIBERT, è regione
Collegij Cameracenſis.

M. DC.XIII.

1063; 19

Lectori S.

SERVS hic quidem ingenij fœtus, Candide Lector, & cum elephantum partu hoc nomine comparandus: quippe alibi ante biennium conceptus nunc demum Lutetiæ prodit in lucem, nec feret, opinor. Quis enim poſt aſellum diaria ſumat? Præuerterunt in hac publica materie eamq; priuati ſui iuris fecerunt Academiæ proceres, Roſcij vt ita dicam theatri literarij, quorum opera velut altiora quadam ædificia obſtruent videlicet noſtris homunculorum luminibus. Sed & illi maiorum gentium ſcriptores ex tam diffuſa laudis ſegete nonnulla fortaſſe aliis ad ſpicilegium reliquerunt, & iuuat Seuerum poëtam imitari, quem nec Virgiliani quidem carminis maieſtas ab Ætna deſcriptione deterruit. Alioqui ego inconſultus, qui vt olim Ilienſes apud Tiberium, præteriti doloris vlcera intempeſtiuo ſermone ſollicitem, & luctus re-

ſtabiam fugitiuos. Atquè vtinam Iduum Maij peruigilium vna cum atrociſſimi ſceleru memoria deleri ex faſtis atq; in omne æuū aboleri potuiſſet. Quandiu recurret ille dies tandiu renouabit regu optimi deſideriū, quod etiamnunc ita hæret in Gallorum animis vt nullius temporu lapſu auelli poſſe videatur. Verum ne triſtem Simonidis næniā ad faſtidium vſq; retractem, funebri Henrici Magni præconio ſubiunxi carmen ludicrum, merum inquies, ſomnium. Quid refert? licuit inſanire hanc amantium inſaniam, vtq; ſenſibus vſurpare præſentem, ſic mente præcipere futuram (ita voueo) ſub Ludouico XIII. Galliæ fœlicitatem. Hoc qualecumq; eſt paſtoritiam certe fiſtulam vel ſolo lemmate deprecatur, quod in eum finem ſpecioſum, vt inſtitores ſolent oculifera tenus ſtilo obtendere mihi viſum. Et tamen liberè dicam in his Phiditiis inueniſſe faſtidioſos homines nonnihil quod ad ſtomachū ſuum faceret. At tu, Lector ſaltem bene volenti faue, ſic Deus æternùm tibi & Reip. literariæ faueat.

ADONIA

SEV MNEMOSYNON HENRICI MAGNI.

ADmirationem ſilentium pare-re nec temere olim Mulonius existimauit, & vnuſquiſque in publico Galliæ luctu paucis adhinc annis eſt expertus. Ex quo enim nobis Henricum Magnum iniquitas fatorum eripuit, tanta repentini caſus admiratio ſubijt, adeò nefandi parricidij nouitate obſtupnimus, vt elingues aliquandiu & attoniti ſteterimus quaſi è Trophonij ſpecu reuerſi. Cogitabam quod Nepenthes diſcuteret contractá ex communi infortunio triſtitiam, ſed id optare potius quàm ſperare licebat,

cum & recentibus morbis adhibere remedia vetent medici, & religio eſſet refricare nondum obductas doloris cicatrices. Itaq; differenda pauliſper ſolatia videbantur, donec areſcentibus lacrymis luctum, vt fit, interſtitium temporis minuiſſet. Id vero propediẽ euenturum ominabar, ſiquidem habet bas vices conditio mortalium vt aduerſa ex ſecundis & ſecunda ex aduerſis naſcantur: adeò nihil eſt ſincerum in rebus humanis, ſed dolor ac voluptas quaſi ex fœdere ſibi inuicem cedunt perpetuo nexu ferruminata. mellis & fellis. Ecce autem quod imprimis verebamur, ne tam ſubita mutatio florentiſſimi regni quietem abrumperet, id ſingularis Dei prouidentia geniúſque Galliæ tutelaris auertit. Quanquam enim Henrici interitu nihil contingere potuit orbi funeſtius, tamen in maximo omnium metu velut in alto fluctuantibus ſalutare ſidus affulſit LV-

DOVICI Principis, cuius exortum ea repente tranquillitas & μακαρία conſecuta eſt, vt acerbiſſimi caſus memoriam pene obliterarit. Hinc factum vt quemadmodum grauati pluuia flores ac penè decidui ad nouæ lucis radios eriguntur, ſic Gallia ſub auſpicia noui imperij tollat animos quos fere demiſerat lamentabili exitu Chriſtianiſſimi regis, cui quoniam viuo fidem obſequiúmque præſtitimus, reddemus defuncto lachrymas præconiúmq; quod meruit tametſi dicere meditantem terret magnitudo operis ac difficultas. Quis enim Apelles hunc Alexandrum delineet? Illum admirari poſſunt omnes, oratione exprimere tàm pauci queunt quàm nemo factis imitari. Itaque regias eius dotes quibus prope ſupra humanum captum inclaruit, relinquam cuiuſq; ingenio æſtimandas. Id porrò magnificum nobis glorioſumque duceremus, ſi quæ eloquentiam

omnem exuperant, ea ſaltem cogitatione aſſequi liceret, ſed neque mens tantas vti decet poteſt æſtimare virtutes nec facundia vlla prædicare: multo tamen ampliora ſunt omni ſermone ea quæ mente concipimus, & hæc rurſus longè ſubſidunt infra faſtigium regiæ dignitatis. Tam deſunt animo verba quàm rebus animus deeſt. Obſequemur nihilominus communi omnium affectui & cultum quem meritiſſimo Principi exhibere fata vetant eius memoriæ præſtabimus, etſi vereor ne illius præconium ſuſcipienti idem obijciatur quod olim Antalcidas in rhetorem quendam herculis encomiaſten vſurpauit, tantum videlicet heroëm à nemine vituperari. Etenim cum eius laude vniuerſus orbis perſonuerit, quid attinet rem verbis amplificare omnibus teſtatiſſimam? Quantus ille rex fuerit, norunt ac fatentur omnes niſi quos ſtupor prædedijt aut inuidia egit

tranſuer-

tranſuerſos. Omnes in vno habitabant regiæ virtutes & quidem ita cumulatæ vt nulla eis acceſſio fieri poſſe videretur. Ac ne ſingulis percenſendis faſtidium pariam, quis in omni retro principum ſerie aut iuſtius bella ſuſcepit aut geſſit animoſius, aut fœlicius profligauit? Abſit inuidia dicto, & ſuos Cæſares, Alexandros, Scipiones fabuloſa ſileat antiquitas, vnus Henricus bellica virtute par omnibus, hac verò laude ſuperior eſt quod nulli vnquam bellum intulit niſi laceſſitus. Illos ad belligerãdum impellebat cupido profunda imperij ac diuitiarum: Raptores orbis ſi locuples erat hoſtis, auari; ſi pauper, ambitioſi, quos non mare gurgitibus non terra latifundijs ſatiabat. At hic iuſtitiam conſiliorum aſſiduam comitem habuit, vt de Ioue antiqui prodiderunt: non alienæ ditioni propagandiſque per iniuriam finibus incumbens, ſed de legitima regni poſ-

feſſione decertans cuius vindicias armis nefarijs à ſe abiudicari videbat ut minus mirandum ſit iuſtiſſimis eius conatibus fortunam aut potius numinis indulgentiam aſpiraſſe: ſcilicet.

Cauſa iubet ſuperos melior ſperare ſecūdos

Et quamuis nihil eius armis eſſet imperuium ſed omnia late cederēt ac paterent, maluit tamen ſtatuere cupiditati ſuæ terminos quam per fas & nefas potentiam amplificare, & imperium humani ſanguinis impēdio mercari. O eximiam in rege pietatem & immodicam in ſummo duce modeſtiam. Illum fortitudo & fœlicitas prope incomparabilis ad imperium totius mundi vocabat, inuitabat gentium conſenſus, propè cogebat inimicorum indignitas quibus acceptas iniurias cum fœnore retaliare poterat, niſi ſtatuiſſet clementiæ ſuæ potius quàm illorum ſceleris rationem ineundam. Quis enim victoriarum eius curſum

retardaſſet; quis vel primos ſuſtinuiſſet impetus? Quocumque armis penetrabat, dabant ei viã hoſtiles acies & ſolo eius aduentu ac nomine terrebãtur. Ferunt herbæ Achæmenidi eam vim ineſſe vt in medium agmen iniecta torporem inducat militum brachijs; ſic ad eius aſpectum trepidabant hoſtes & fugam potius quàm pugnam meditabantur. Quemadmodum aſtra æternóſque illos ignes ſine occulta veneratione vix intuemur, haud aliter eius vultum animabat genius quidam horrore animos ac religione perfundens. Quoties parua manu in confertiſſimos hoſtes incurrit? quoties numeroſos exercitus paucis legionibus fortiter adortus fœliciter fudit ac profligauit? Miretur fortaſſe aliquis vim animi aut fortunæ benignitatem: vtraque certè affuit, ſed illa vt auderet præſtitit; hæc vt poſſet. Iactabant illi equitum peditúmque nubes, extollebant

Indicas opes, quarum oſtentatione ſu-
perbiebant inſolentius, & victoriæ
præmia quam ſpe atque cogitatione
præceperant pactione diuidebant in
anteceſſum, donec fremente Nemeſi
faſtus ille & typhus Africanus detu-
muit, & Henrici quarti auſpicijs, Har-
pyiæ infeſtiſſimæ procul à noſtris fini-
bus ablegatę ſunt. Inuitus commemo-
ro publicas clades quas præſtaret obli-
uione ſempiterna obruere, ſed habet
præteriti doloris ſecum recordatio de-
lectationem, & optimi principis glo-
ria talium rerum commemoratione
ſplendeſcit, quem obliuiſci ſtupidi eſ-
ſet animi, ingrati vero tacere. Quanta
belli tempeſtas ſuperioribus annis in-
tonuerit, quot τρικυμίας excitarit ſatis
opinor vnumquemq; meminiſſe, cùm
omnia armorum fragore perſonarent
& populi velut errore fanatico agitati
in mutuam perniciem ferrentur præci-
pites, planè vt Galliam tunc Matrem

feram fuiſſe dicas quæ ſeipſam eſitaret ac depaſceretur. Hæc nimirū eſt conditio ciuici tumultus, vbi victor vulnus ſimul infert & accipit, & inimici clade exitium ſibi ipſi creat crocodilo perſimilis, qui cum elephanto decertans eum quidem necat, ſed dum morientis exugit ſanguinem bellua deficiens in aduerſarium incidit, & victorem corporis mole ac pondere oblidit,

Ξυνὸς ἐνυάλιος καὶ τε κτανέοντα κατέκτα.

Ventum ad ſupremum erat & res Gallica ad incitas redacta ſpectabat caſum, partim quorundam ciuium furore & veſania, partim exterorum aſtutia & improbitate, qui ciuili incendio faces identidem ſubijciebant, & noſtris diuidijs quaſi gladiatorum ſpectaculis oblectabantur, cum repente ſoſpitator Henricus prodijt veluti *θεὸς ἀπὸ μηχανῆς* & à noſtris ceruicibus iugum repulit grauiſſimæ ſeruitutis. Abſq; illo eſſet, vix florentiſſimi regni quicquam

haberemus præter inanem magni hominis vmbram, & vt Pſyllorum gentem memorant violento Noti ſpiritu ad internecionem vſque deletam, ſic princeps gentium populus conditus in ruinis ſuis iaceret venti meridiani flamine euerriculatus. Plato dijs immortalibus grates agere conſueuerat, quod in Socratis tempora incidere ſibi contigiſſet. Eodem ferè nomine mihi venit in mentem patriæ ætatique noſtræ gratulari quæ tantum principem nacta eſt, cuius virtute ſartam tectam libertatem & gloriam tueretur. Quem ſi fata ſeruaſſent, Gallia iura daret orbi terræ, palmaſque Idumæas è quarum poſſeſſione ab immaniſſima gente deiecta eſt poſtliminio recuperaret. Sed, ô ſpem fallacem & humanæ fortunæ ludibria! Hunc regem immortalitate digniſſimum nefarius parricida & tartareus emiſſarius ſcelerata manu confodit. Horret animus luctu-

que refugit inexpiabile facinus memorare vel recordari. Tantúmne in homine fuiſſe feritatis vt in optimum regem coniuraret, tantum audaciæ & furoris vt ſacratiſſimum pectus ferro temeraret, vt eius ſanguine cruentaret manus pro cuius ſalute ſpiritum profundere debuiſſet. Rumor enim percrebuit monſtroſum hunc ſicarium iudiciorum olim laqueis implicatum; clementiſſimum regem exoraſſe, vt capitale facinus quod admiſerat temporaria relegatione expiaretur. Hæc igitur tibi Henrice manſuetudinis & indulgentiæ præmia rependuntur?

Θρέψαι δὲ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας ὥς τι φαγόνται.

Iam vero illud in animum inducere nequeo quod olim ex tripode à viro ſanctiſſimo dictum ferebatur, Solam Galliam carere monſtris. Non vltrà in Africam eſt traijciédum, in media Europa, in ipſo Franciæ ſinu prodigia na-

ſcuntur, & ex vltima Hetruria arceſſen-di haruſpices ad illa maioribus hoſtijs procuráda. Hic autem me ſiſtit & percutit miſerans quædam cogitatio regum ſortis, quos non armata præſidia, non beneuolentia ſubditorum, non ſtipatorum cohortes ab inſidijs vindicant, quibus nec domi nec militiæ licet eſſe ſecuris. In alta pace, in ſumma tranquillitate non deeſt quod expaueſcant: inuidiæ ſemper expoſiti, nunquam minus tuti quàm cum ſibi tutiſſimi videntur. Tametſi vt libere expromam affectus meos, tua inuictiſſime princeps, tua inquam te perdidit humanitas, qui virtutum conſcientia fretus nulli diffidebas, neminem ab aſpectu propiore tuæ celſitudinis patiebaris excludi. Ita faciles ad te omnium aditus, vt admitterentur ad ſacros ſermones tuos promiſcuè priuati cum magiſtratibus, diuites cum egenis, plebeij cum dynaſtis. Hæc tandem

comitas

comitas tibi toriq; Galliæ fatalis fuit, non fruſtra monente Epicharmo μέμνασ' ἀπιστεῖν. Verum ignoſcite boni manes, non ego vos ſollicito. Tantam enim comitatem vt amore ſingulari proſecuti ſumus, ſic præconio deinceps traducemus ad poſteros. Ibit in ſæcula fuiſſe regem ea manſuetudine & facilitate morum, qui res penè diſſociabiles miſcuerit, principatum ac libertatem, & vtramq; fœliciter temperarit. Neque enim Henrico quicquam iucundius fuit, nullum ei in grauioribus, vt ſæpe, curis auocamentum gratius aſpectu & colloquio familiari ſubditorum. Non imitabatur præpoſteram aliorum principum grauitatem, qui morum aſperitate & inſociabili vita dignitatem imperantium ementiuntur: Maieſtatem regij vultus omni humanitate condiebat, terrorem apud hoſtes, apud ſuos amorem quærendum ſibi exiſtimans, apud omnes

clementię famam, qua vna virtute omnes prioris & fortaſſe ſequentis ęui imperatores (præfiſcinè dixerim) longo præceſſit interuallo. Expreſſit hæc diuina virtus admirationem & lacrymas etiam inimicis, qui & fortitudinem illius in prælijs experti ſunt, & in victoria clemétiam, vt ne tunc quidem queri auderent niſi de magnitudine tanti principis qui non minus optimi quam inuictiſſimi famam aucupabatur, malebátque iniurias condonare quàm vlciſci. Itaque in illum non conuenit elogium quod in ſepulchrali cippo Sullæ Dictatoris inſcriptum fuiſſe Plutarchus memorat, Neminem mortalium pluribus beneficijs cumulaſſe amicos aut ſeuerius inimicitias vindicaſſe. At Henricus beneficétia amicos venia hoſtes demerebatur. Nam eum plerique inani metu aut errore aduerſus illum arma ſumpſiſſent, & pleraſq; regni ciuitates, ad bellum funeſtiſſi-

mum concitaſſet, repreſſit quidem eo-
rum conatus & propitio Marte diſſi-
pauit, ſed tamen in eius victoria nemo
vnquam cecidit niſi armatus: Pyrrhi
exemplo ignoſcebat omnibus quibus
fortuna belli pepercerat. Illos igitur
ad arma nefaria infeſtus Franciæ ge-
nius impulerat. Qui vbi primùm lux
aliqua affulſit bonæ mentis, college-
runt ſe tandē & benigniſſimum prin-
cipem cuius animum ſuperba defe-
ctione alienarant, humili culpæ depre-
catione ſibi conciliarunt. Victi ad ſa-
cra genua procumbebant, & lachry-
mis ac ſingultibus erroris præteriti pœ-
nitentiam ſeriò teſtabantur, cum rex
optimus pacificam ſalutaremq; dex-
tram vltrò porrigeret ſupplicibus, eiſ-
que humaniſſimè exceptis ad bene ſpe-
randum ex arce manſuetudinis ſuæ ſi-
gnum attolleret. Hincamor in illum
incredibilis publico Gallorum luctu
nouiſſimè teſtatus. Quis enim cohi-

buit lacrymas in acerbiſſimo funere regis optimi quem vt olim Titum imperatorem delitias & amorem generis humani liceret appellare? Equidem mihi ſæpenumero cogitanti & memoria vetera repetenti venit in mentem nullum principem tantum ſui deſiderium reliquiſſe: quanquam legimus in morte Germanici pleroſque à cibis abſtinuiſſe & inedia voluntaria de conſciſcenda ſibi morte cogitaſſe, cum alij partus exponerent, alij crudelitatis poſtularent deos, & penatium ſimulachra deijcerent quaſi ſublata omni ſpe humanæ ſalutis reſpublica pariter depoſita videretur. Similis penè mœror Gallorum peruaſit animos in deplorando Henrici interitu, adeo vt nonnulli præ dolore inclinarent in illam Quadrigarij ſententiam, hoc maximè cerni deorum iniquitatem, quod optimum quemque non ſinunt inter nos perennare. Sed quoniam inanes ſunt

queſtus, nec reuocare licet reluctantibus fatis extinctum, præſtat eius memoriam omni elogiorum genere propagare. Demetrio Phalereo trecentas ſexaginta ſtatuas Athenienſes quondam poſuere quibus omnibus ipſe ſuperſtes fuit. Sed maius quiddam Henrici manibus Gallia vniuerſa parturit, immortalis amoris & honoris fructum. Nam ſimulachra hominum vt alia ſubinde mutantur, hanc verò regis noſtri gloriam nulla ætas deteret, poſteritas mirabitur, literæ conſecrabunt. Quid muliebri planctu Henricô parentamus? quid lachrymis abitionem eius proſequimur? Viuit in liberis, viuit in libris & Gallorum pectoribus. Quicquid in illo amauimus aut mirati ſumus manet manſurúmque eſt in animis hominum æternitate temporum, fama rerum: atque vt iam diuina ſui parte tranſcriptus eſt in

coloniam cæleſtem (quod pro eius meritis facilè auguramur,) ſic orbis terrarum memoriam nominis nunquam intermorituram conſeruabit.

SOMNIVM PHILOCELTÆ
SEV
Sponſor Caſſandræ Turcicæ.

PRœuia iam Phœbi Pallantias aſtra fugabat,
Lunaq; noctiuagam demerſerat æquore bigam,
Cum vera humanas turbant inſomnia mentes.
Sopitus geminas video concurrere formas.
Vna triumphali ſpecie fulgebat & oſtro
Henrici faciem referens, ſed pallida longè
Illi diſſimilem præbebat Francia vultum.
Nullus honos fronti: qualis per nubila Phœbes
Theſſalica labat arte vigor, Temeſæa ſonore
Aera licet recrepent foliis aut qualia marcent
Lilia pallidulis vbi turbidus ingruit Auſter.
Gnoſiacam ſimili vexauit tabe puellam
Dirus amor, vacuo cum ſola in littore Naxi
Theſea Cecropias repetentem cerneret oras.
Ergo vbi luce noua rutilantem Francia regem
Conſpexit, tremulis compellat vocibus vltrò.
Tunc mihi ante diem fato percuſſus iniquo

Henrice eriperis? noſtri quem nuper ouantem
Spectabant populi gemina radiante corona
Inſignem, non te pietas ſubducere letho
Regia nec potuit clementia, viuitur iſtis
Legibus, & quicquid vaſto Sol luſtrat in orbe
Abripit immitis nullo diſcrimine Parca.
Mors nulli effugitur: quanquam te maxime regum
Protinus altitonans ſupero tranſcripſit Olympo
Dum terris rapuit. Viuis, cœloq; potitus
Parte tui meliore viges, ſed victa dolore
Interea & curis pene exanimata relinquor
Præſidio viduata tuo: non priſca meorum
Gloria ſuccurrit, non parta ex hoſte trophæa,
Omnia nam ſuperat præſens ſolatia caſus;
Vtque tuæ ſubijt triſtiſſima mortis imago;
In riguos lachrymans dilabor tota liquores.
At non hæc olim miſeram ſperare iubebas
Gallica cum regeres ſummis virtutibus arua,
Tunc mea candidula creſcebant lilia flore
Quæ modo flacceſcunt tanti paſt funera regis.
An mihi ſumma dies, fugitiui an terminus æui
Inſtat, & atroces properant mea fila ſorores?
Haud equidem renuam quin te Sol alme cadentem
Inſequar atque tuo condar moribunda ſepulchro.
Sic effata ſinum lachrymis impleuit obortis
Francia & humidulis percuſſit pectora palmis.
Cui mox Henricus roſeo ſpectabilis ore
Talia voce refert. Vanos nunc comprime queſtus

O ſemper

O ſemper dilecta mihi, dilecta Tonanti.
Sat mea communem tutata eſt dextra ſalutem,
Sat patriæ Galliſq́; dedit. Regnator Olympi
Vlterius prodire vetat, nunc linquere terras
Cogor, & ætherens animo volitare per arces,
Nec tamen antiquæ deſperes præmia laudis.
Nam prius humenti Boreas ſe promet ab Auſtro,
Ante ferox Beſſus Ligerim, Germanus Orontem
Imbibet, aut Indus Rhodanum, rapidúſque Garumna
Conuerſo repetet Pyrenes flumine ſaltus,
Quam tibi perpetuum rapiat fortuna decorem.
Hæc dea quæ poſitu ad Tybrim conſtitit alis
Hîc celerem manſura rotam ſufflamine ſiſtet.
Cur noſtro timidam diuexas funere mentem.
Viuit imago mei poſt triſtia fata ſuperſtes
Et ſpes lapſarum LODOICVS *maxima rerum*
Ac velut exoriens Hyperion conſpicit orbem
Lucidus, & primos è carcere concitat axes,
Talis adeſt princeps: LODOICVM *Francia talem*
Aſpiciet longos Lacheſis cui deſtinat annos.
O quales poteris tanto ſub principe mores
Induere & quantis tua creſcet gloria rebus.
Namque vbi veſtierit prima lanugine malas
Marte ferox iuuenis forti metuenda capeſſet
Tela manu hoſtiles debellatura furores.
Hoc duce Securi properate ad prælia Martis
Francigenæ, veloci aderit victoria penna.

D

Ite per ardentes qua latrat Sirius agros,
Riphæas ſuperate niues, tranſcurrite metas
Herculis, atque nouum tentate per æquora mundum.
Ille & Idumæas repetet certamine palmas,
Aegypti ſternet populos, Turcamque ferocem,
Qui ſceptro tumidus Rhodopes geminoq́; ſuperbus
Imperio Latias etiam nunc territat vrbes,
Claſſe viriſq; potens, titulos dum ſeſquipedales
Iactitat, occiduis minitans incendia regnis.
Sed veniet Nemeſis quæ faſtum calcat inanem
Et ſpes immodicas: illuc conuertite ferrum
Chriſticolæ, quid vos nunc ciuica bella morentur?
Seruit adhuc Scythico tellus auguſta tyranno
Clara ſalutiferis Chriſti natalibus, & quam
Altricem generis primi coluere parentes.
Quin & Pannoniam repetitis cladibus vrget
Barbarus atque animo totum iam deuorat orbem.
Heu prohibete nefas, tuq́; ô chariſsima proles
I decus î noſtrum, præſentibus vtere donis.
Huc tua te fortuna vocat, fatalis & vltor
Hoſtibus impendet gladius quem priſca minantur
Auguria & Turcis verax prædixit Apollo.
Ecce Deus iuſtis aderit mox belliger armis.
Muneribus certant ſuperi: tibi Mulciber enſem
Fulmineum parat ignipotens, clypeumq́; Pyracmon
Fabricat, & totis fumans ſonat Ætna cauernis.
Et tibi littorea iamdudum paſcit in alga

Alipedem Neptunus equum qui nubila ſaltu
Tranſuolet atque leues valeat præuertere ventos.
Iam fragor armorum noſtras circumſonat aures,
Iam video Solymam recipi, ſparſoq; cruore
Barbarico Syrios latè pingueſcere campos.
Currit in aduerſas ardens Bellona cateruas
Horribili iam voce tonans, fert impetus ipſam:
Signiferi paſsim anteuolant laborúmq; verendum
Oſtentant dubiis media inter prælia turmis.
At dux Francigenûm trepidos impellit in hoſtes
Cornipedem & raptas fugientibus ingerit haſtas.
Hunc habet, exclamat victor, gens impia finem,
Nunc mare nunc terras inimica cadauera complent
Et ſtupet innumeris infernus portitor vmbris:
Dum cogit reliquos LODOICVS *tela rebelles*
Abycere, & Francis ſubmittere colla catenis.
Ergo age pone metus nimium nec cede dolori
Gallia magna nouo ſurget tibi gloria rege.
Ille redux domiti ſpoliis orientis onuſtus
Et pia victrici redimitus tempora lauro
Sumet Palladiæ ramum pacatus oliuæ,
Legitimiſq; ſuas frænabit moribus vrbes,
Necnon ſollicitus tribuet grata otia Muſis.
Aurea tunc toto deſcendent ſæcula cœlo,
Non ſecus ac caſta fertur naſcente Mineruа
Auratus Rhodios imber delapſus in agros.
Dixerat Henricus, *volucriq; ſimillimus auræ*
Eripuit ſeſe ex oculis, ſimul euolat ipſa

Francia, queis facilem fruſtra coniungere dextram
Conor, & agnoſco fugientes excitus umbras.
Annuite ô ſuperi nec ſint inſomnia vana
Regalem ſeruate domum, permittite poſthac
Liligerum iuuenem rebus florere ſecundis.
Euentura precor, ſalit en mihi dexter ocellus.

FINIS.

1063, 10

88 8577